Dissertatio historico-philosophica

quam

auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis in Academia Rostochiensi

summos in philosophia honores

rite consecutus

scriptam edidit.

Carolus Pfeiffer,

philos. doctor, theolog. candidatus.

Magdeburgi, 1870.

Typis E. Baenschii jun.

Amico dilectissimo

Augusto Alexandro Knispel

viro litteratissimo et agronomiae peritissimo

hasce studiorum primitias

gratissimo animo

offert

auctor.

De ortu et natura gentilium cum ex libris divinis, tum ex philosophia spectatis.

Duplex duplici modo iam nobis quaestio proposita est: primum, ut de ortu gentilium disputemus, tum de natura; idque cum ex libris divinis, tum ex philosophia. Quod quidem non ita intelligendum puta, ut quae e libris divinis eruantur arte quadam dogmatica inter se connectere studeamus; imo, cum res ipsa postulare videatur, omnia ad fidem historiae referemus.

Prior igitur quaestio haec est: ex quonum inde tempore gentiles originem ducant. Cuius rei, quamvis ardua et difficilis responsio sit, alterum tamen de duobus sit necesse est: aut ab initio rerum gentiles fuisse, aut per secula ortos esse. At vero tantum abest, ut illud ponendum videatur, ut contra reiiciendum. Sunt quidem, iique non pauci nostrae memoriae philosophi, qui cum omnem generis humani naturam et intelligentiam gradatim et quasi pedetentim processisse putent, primam religionis quoque formam rudem et imperfectam fuisse dicant; verae igitur Dei cognitioni apud primos homines locum relinquendum esse negant, historia praesertim et ipso usu testantibus. At vero, quod ad historiam, cum rerum per saecula ortarum certissimam notitiam afferat, ea vero, quae ante facta sunt, non attingat, et fuisse et esse gentiles testatur, unde autem fuerint, ex quoque tempore exstiterint, minime comprobatum it. Item, quid ibi usus valere potest, ubi per tot secula a nostrae aetatis hominibus ad homines ascendendum est, et moribus et intelligentia, denique tota indole a nostris fortasse plane diversos? Obstat praeterea illi de

primo hominum statu doctrinae omnium, quae ad nos pervenerunt, antiquissima traditio, dico Mosaicam. Haec enim, cum ad Dei imaginem et simulairum (בְּצֶלֶם כִּדְמוּת) hominem factum esse dicat, neque solum ad Deum cognoscendum et colendum qene instructum, sed etiam ipsius Dei usu confirmatum, omnem suspicionis causam removere studet, ab initio rerum rudes Deique verae opinionis expertes homines fuisse. Quod idem omnibus fere temporibus doctissimis viris probatum erat. Ut J. Herder (Herder: Ideeen zur Gesch. d. Philosoph. d. Menschheit II. S. 288) „religio", inquit, vel apud populos maxime barbaros reperta, quo tandem modo ad eos pervenit? Num per inventionem? „Hi quidem miseri nihil inveniunt;" sequuntur in omnibus patrum traditiones. „Et Joannes a Mueller (Joh. a Mueller: Weltgeschichte I., S. 4), mirum esse ait veterrimos populos de Deo, mundo, immortalitate animarum, siderumque motu rectissima percepisse. Videri igitur ingenio nostro necessaria quaedam, quae per se ipsum haud facile attingere posset, ipso Deo auctore et quasi magistro, insita esse (hist. popp. I., 4). Denique praeclarissimus ille Ouvarof (Ouvarof: „Essais sur les Mystères d'Eleusis. Paris 1816, p. 10) veterum et morum et litterarum studiosissimus: „L'état naturel de l'homme n'est ni l'état sauvage, ni l'état de corruption; c'est un état simple, meilleur, plus rapproché de la divinité; l'homme sauvage et l'homme corrompu en sont également éloignés". Praeterea autem superiorem illum hominum statum posteriore multo meliorem cum ex consensu omnium fere populorum de aurea quadam aetate, tum maxime, quod ad religionem, inde colligere licet, quod omnes fere religionis fabulae ethicam quandam vim, si qua iis inerat, per secula amittebant, physicam sumebant. Ut apud Indos Manu, ubi persuadet, non interire animas, sed post mortem ab aliis ad alios transire, nihil nisi ethicum quid intelligi studet. Omnia, et homines et animalia et plantas conscientia praedita, doloris laetitiaeque sensu imbuta a Deo in hanc terram proficisci: hinc, ut reverteretur, unde profectum esset, unicuique propositum esse, quod quidem fieri non posse, nisi per continentiam et temperantiam, littera-

rum sacrarum scientiam, legum obedientiam, perque omnia, quae inde penderent. Confici autem illum animarum reditum per actum quendam, quem Graeci μετεμψύχωσιν vocant (Schlegel, über die Weisheit der Indier. S. 279). Habere igitur hanc de animis aliunde alio transeuntibus doctrinam, ethici quid atque honesti, luce clarius apparet: quod quidem frustra quaesiveris, tota, quae de eadem re inferiori memoria apud Indos viguit disciplina perlustrata, quibus tota haec ratio nihil valebat nisi modum quendam exeuntis quasi et in se remeantis Dei. Itemque, si in medio est, num ipse Plato laudatae illi doctrinae — de animis post mortem ab aliis ad alios transeuntibus — ethici quid attribui velit, id quidem pro comperto habemus, recentiores academicos physicam quandam vim ei admiscuisse. Adde, quod in iis quoque Graecorum fabulis, quae de discidio sunt, ethica quaedam occurrunt, quae in philosophorum, Empedoclis, Pythagorae aliorum disciplinis, ubi de amore et rixa dicunt, desiderantur (Plut. de Iside et Os. c. 48). — Quid? nonne ex ipsa philosophia efficitur veram Dei opinionem falsam praecessisse? Nonne ipsi philosophi priores exstiterunt, quam sophistae, ars dialectica quam sophistica? Nonne prior arbor exsistit, cui paullatim et tanquam occulte serpentes istae herbae adhaerescant? Quid igitur est, quod in principiis rerum veram Dei opinionem et cognitionem inter homines defuisse, falsam fuisse putes? Conveniunt denique huic summae ex ipsa gentilium religione documenta non pauca. Nonne Graeci et Romani, cum Jovem „Dominum et patrem Deorum hominumque" — πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε — fingerent, quamquam sexcentos habebant Deos, reliquias quasi quasdam unius Dei opinionis reservasse videntur? Eodemque spectat persuasio illa populorum, esse quoddam numen, vel fatum vel μοῖρα nuncupatum gravi nutu humana omnia regens, quod effugere nemo possit. Aegyptios denique, cum sub signo serpentis „Agathodaemona", numen tanquam omnipotens, unde omnia exorta essent, Indos, cum „Atmam" flamen quasi quoddam omnia perflans, colerent et ipsos unum omnibus rebus principium inesse persuasum habuisse, vix quisquam negaverit.

At vero, si gentilium religiones non una cum hominibus natae videntur, unde tandem exstiterunt? Cuius quaestionis responsio, nobis quidem auctoribus, ex altera quadam pendet, eam dico de origine omnium populorum. Quaestio quidem ardua, a doctissimisque non modo varie, sed etiam diverse diiudicata. Sunt enim, iique non pauci qui omnium, qui sunt et fuerunt, hominum populorumque originem ad unum totius generis humani auctorem et principem referendam esse putent; quibus ii repugnant, qui a pluribus auctoribus profectos eos esse volunt. Tertium est genus eorum, qui hominum ab hominibus ortu omnino sublato, totum genus humanum paullatim et tanquam gradatim ex bestiarum feritate et forma in hominum figuram et cultum effloruisse dicunt. Cujus quidem rationis studiosi, cum hominum ab hominibus ortu sublato, ultima communis omnium originis vestigia exstinxisse sibi videantur, iam eam ob rem toto coelo aberrant, quia singulari illa, quae inter homines et forma et habitu conspicua est, similitudine coacti non possunt non recurrere ad formam quandam omnibus communem, qua similitudo illa contineatur. Quam cum in simiae similitudine ponant, tantum abest, ut communem omnium originem auferant, ut contra inviti concedant eo nimirum ab adversariis abhorrentes, quod simiae quam Dei similitudinem ferre malunt. —

Sequitur iam eorum sententia, qui plures generis humani auctores esse volunt. Quod quidem eo probabilius esse dicunt, quia, si ab uno modo coniugio omnes orti essent, non modo fieri potuisset, ut non nisi filios vel filias mater ederet, unde propagandi generis omnis ratio esset sublata, sed etiam, quia liberi coëundi cupiditate capti utiqe inter se corpora non commiscere non potuissent, a quo natura plane abhorreret. Denique ipsius linguae originem dilucide apparere, pluribus generis humani auctoribus positis: multo enim ita facilius fuisse, rerum notitias mente effingere, effictas multiplicare. Postremum ipsos libros divinos huic rationi consentire: nam, si in Geneseos libro fratricida ille diceret, fore, ut a quovis occideretur, in quem incideret, inde iam colligendum esse, complures tum homines exstitisse. —

At vero, quod ad Scripturae testimonium attinet, tantum abest, ut a pluribus auctoribus genus humanum profectum esse velit, ut contra ne feminam quidem maris instar, sed ex costa ipsius procreatam esse dicat. Illud autem fratricidae, si recte intellexeris, non ad alienos, sed ad domesticos, bono iure in Genesi postea enumeratos, referendum videtur. Nonne et per se ipsum risum quendam movet, virum, qualem eum accepimus, robustum, vel urbis conditorem, ne a quovis, in quemcunque incideret, interficeretur metuere? Metuit contra domesticorum ultionem propter fratris necem de eo sumendam. — Pariter tertium illud argumentum ab linguae origine repetitum nihil prorsus valet: Tollit enim veram linguae naturam, qua sublata, ab hominibus linguam inventam esse vult. Quo quid potest esse stultius! Nam is, qui linguam invenire vellet, ut vellet, ipsius iam indigens fuit, quod quidem clarius apparebit, ubi de linguae origine et natura fusius nobis tractandum erit. Nec vero ii audiendi sunt, qui nimis anxii de generis humani propagatione, vel cum ab incestibus inter homines necessariis abhorreant, complures generis auctores ponendos esse volunt, haud memores illis temporibus, ubi genus humanum effloruit, non nostrae aetatis de coëundo iudicium valuisse. Qui argumentum tam tenue afferunt, quo confirment a pluribus auctoribus genus humanum descendisse, iis Kantii illud dicendum videtur: „unum modo hominum coniugium exstiterit necesse esse; compluria enim inter se litigasse.“ Maiorem quidem vim eorum habet sententia, qui magna illa, quae sunt inter homines et linguae et coloris, denique totius indolis discrimina tanti facientes, ut ex natura locorum, varietatibus coeli, morum, consuetudinum profluxisse negent, quasi hereditate a primis hominibus accepta esse putant. Tot igitur hominum auctores statuunt, quod genera sunt. At vero, licet id quidem concedendum videatur, coeli et locorum naturam et varietates non tantum valere, ut totam et coloris et formae commutationem efficere possint, multum certe valent. Ut Iudaeorum ii, qui septentriones, qui Poloniam, alias terras tenent, quamquam ab eadem oriundi sunt gente qua ii, qui ad meridiem et orientem

spectant, oris tamen specie et forma ab his abhorrent. Item Nigritas ex Africa patria in Americam translatos et crinium et labrorum et nasorum denique coloris commutationem per annos moliri inter omnes constat. Postremum, si nostratum quendam in Aethiopum loca transtuleris, quamquam non plane in eorum speciem abiet, propius tamen ad eos accedet. Quodsi coeli et locorum etiamnunc tanta vis est, ut inter varia hominum genera species quasi medias efficere possit, nonne adversariorum auctoritas, minuta, ne dicam fracta videtur? Adde specimen illud naturae ex diversis hominum generibus, ubi corpora miscuere, uberrimos fetus procreantis, quod et ipsum pristinam omnium unitatem indicare videtur.

Non igitur sequentes eorum sententiam, qui plures generis humani auctores statuunt, eorum in partes eamus, qui ab uno omnes descendisse volunt, praesertim cum gravioribus argumentis probari possit. Quod ad historiam, cum nulla eorum, ubi populi exstiterunt, temporum monumenta exstent, nullum quidem inde documentum repeti potest, sed grave quoddam a miro illo omnium fere gentium de veterrimis fabulis consensu. Etenim si apud omnes populos fabulas illas de aurea quadam aetate, vel de magno diluvio relatas legimus, quo tandem modo usus ille et communio fabularum aperiri potest, nisi pristina omnium populorum communione et unitate posita, qualem disertissime et dilucide ipsi libri divini testantur. Traditur enim in Genesi (Genes. 1, 27), unum a Deo creatum esse hominem, totius generis humani auctorem. Accedunt eorum physicorum studia, qui, cum illa et linguae et coloris discrimina ad coeli naturaeque varietates referenda esse putent, et ipsi unum omnium principem ponunt. Et profecto! si adversarii postulant ex nuda cellula bestiolas infusorias, pisces, bestias quasi ancipites — quae *ἀμφίβιοι* graece vocantur — simias, denique homines per saecula esse exorta, quid tandem impedit, ne ea quoque, quibus inter se differunt homines, paullatim variis modis profluxisse putemus, praesertim cum inter magnam illam dissimilitudinem maior similitudo cernatur? Denique ipsis gentibus consensus inesse videtur, non

indigenas se esse, sed ex peregrinis terris majores adventasse; quod quidem eo magis notabile est, quia omnes fere eadem pristinae sedis loca opinantur. Ut ii, qui Europam tenent ea quae inter Tigrim et Euphratem sita sunt loca; qui Africam ea, quae ad orientem vergunt, qui Chinam, qui Americam colunt ea, quae ad septentrione spectant. Ex miro hoc igitur populorum consensu de primis generis humani sedibus, nescio an item colligere liceat, unum quondam fuisse populum, a quo omnes oriundi sint. Augetur autem huius opinionis vis atque momentum, artificiorum, quae ex vetustissimis temporibus ad nos pervenerunt, reliquiis inter se comparatis. Tantae enim, praecipue Indorum, Aegyptiorum aliorum opera comparanti structurae similitudines occurrunt, quantae, praesertim cum in populis natura locorum maxime dissitis inveniantur, pristinam eorum unitatem indicare videntur. Hoc autem concesso et alterum illud sit necesse videtur, omnes, diversas et varias quae iam sunt, linguas in unam quondam coiisse. Quae ubi in varias abiit, varii etiam populi exstiterunt, quae populorum, ut ita dicam „itio in partes" gentilium initium est.

Ponimus igitur nos, gentiles ex eodem tempore ortos esse, ex quo populi lingua dissoni sunt. Quod ut appareat, de linguae natura et origine paulo fusius dicendum videtur. Ac primum quidem id omnibus probatum esse putamus: esse linguam aut inventum quid hominum, aut disciplina et institutione perceptam, aut denique natura ingenio insitam. Quartum quidem non datur.

Inventum hominum linguam esse, quod sciamus, Herder primus statuit, quem paucis abhinc annis Iacobus ille Grimm grammaticorum princeps, secutus est (J. Grimm: „Ueber den Ursprung der Sprache." 4. Aufl. Berlin 1858). Idem bestiarum voces stabiles semper semperque inter se similes cum hominum linguis conferens variis inter se et unicuique usu discendis, colligendum inde esse putat bestiarum voces innatas, hominum linguam non innatam esse. Et usu quoque id admodum posse probari. Tantum enim abesse, ut pueri recentes a partu in peregrinas terras ablati patrium sermonem proferant, ut contra semper eorum, inter quos accrescant. At vero, si quis quid inde de-

linguae natura comprobasse sibi videatur, parum se eam intellexisse testatur. Insita est enim homini vis quaedam loquendi atque indoles, per se ipsam quidem latens et quasi quiescens, excitata autem atque mota prodiens et succrescens. Pueri igitur, ubi primum fari coeperunt, non tantum vocabula aliquot memoriae mandata esse ostendunt, sed id maxime: excitatam iam esse loquendi suam vim atque indolem. Quae excitatio, cum ab unoquoque fieri possit, nullo eius, qua ipse utitur, linguae respectu habito, et ipsam loquendi vim, cum prodeat, eundem sequi modum, quomodo exstrinsecus mota sit, rerum natura ferre videtur. Laudatum igitur illud exemplum de pueris recentibus a partu in peregrinas terras ablatis, cum locum habeat, ubi de tradendis linguis agatur, cesset tamen et removeatur, cum de natura linguae quaestio sit. Hanc enim, cum in eo positam esse velit, ut reddas, quae auribus perceperis, non modo veritatem auffert, sed etiam ipsi sibi repugnat, nisi forte invenerit, a quonam tandem princeps vel principes omnium hominum voces et verba perceperint. Putasne a Dio? Hanc quidem sententiam, licet historia linguarum a perfectiore forma ad deteriorem testari videatur defectum, J. Grimm tamen reiiciendam esse putat, quoniam non solum rationi, Deique verae opinioni sed etiam libris divinis repugnet. Recte id quidem et bene dictum! Fac enim putes, Deum primos homines linguam docuisse, nonne, ut eum intelligerent, iam ipsis lingua opus erat? Quid? si Deum verba facientem excogitamus, hominumque instar cum hominibus communicantem, nonne humanum etiam corpus ei attribuendum erit? Denique ipsi libri divini, ubi Deum cum hominibus primum dicentem faciunt (Gen. 2, 19). non modo omnem linguae doctrinam removent, sed cupidum contra Deum effingunt audiendi, quaenam ipsi brutis nomina impposituri sint. Et profecto, nihil omnino ei sententiae favere videtur per doctrinam et institutionem vel divinam linguam hominibus collatam esse, non quo, quantum in discenda lingua veleat doctrina ignoremus vel parvi aestimemus, sed quia innata illa loquendi vi atque indole sublata, humana institutio plane irrita est; valet enim et hic, quod

Goethe noster praeclarissime dicit: „oculus, si lucis non capax esset, quomodo videres"?

At vero J. Grimm paucis omnia repetens, lingua inquit, humana, si nec innata est hominibus, nec divinitus docta, quid tandem est, nisi inventum quid hominum? Opinio quidem vulgata sed falsa et ipsi sibi repugnans. Nam cum nostra natura ita ferat, ut quae dicamus, priusquam dicamus, cogitemus; cogitata dicere non queamus, nisi dicendis cogitatis, inventor linguae, ut inveniendae consilium caperet, non minus ipsius iam indigebat, quam is, qui arithmetica invenire studebat, ipsorum numerorum.

Tantum igitur abest, ut linguam ingenii inventum esse putemus, ut contra lingua sublata ingenium quoque exstinctum esse censeamus. Redeuntes enim eo, unde tota oratio exorta est, ad eorum dico sententiam, qui innatam linguam ingenio esse negarunt, primum hi quidem ignorant, qualis sit inter cogitandum et dicendum connexus; qui quidem tantus est, ut quo iure Cartesius ait: „cogito, ergo sum", eodem iure nos dicamus: „cogito, ergo loquor". Est igitur lingua nec ab hominibus inventa, nec per institutionem ab iis percepta, sed innata ingenio, eiusque quasi forma et imago. Praeclarissime igitur Fridericus a Schlegel dictum illud Ioannis apostoli: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος*" mutatis mutandis totius generis humani historiae ita inscribi posse: „principio homini verbum erat; idque verbum divinitus insitum erat; ex eaque vi, quam hoc ei verbum movebat, et esse se et cogitare homo sensit".

Quod si res ita se habet, linguam et ingenium ab eodem profecta esse auctore, dico a Deo, satis videtur esse comprobatum, quod supra posuimus, gentiles ex eodem tempore esse ortos, ex quo tempore gentes lingua dissonarent. Nec vero sumus ii, qui putemus, ipsam linguarum varietatem gentilium originis causam fuisse efficientem, cum contra nihil nisi signum eius quasi visibile, reique interioris nota externa sit. Eum enim, qui artissimum illud linguae ingeniique vinculum cognoverit certe fugere non potest, linguae commutationem fieri non posse, nisi ingenii

commutatione praecedente. Ingenium autem haec duo continet: opinionem Dei et mundi. Itaque unam omnibus Dei opinionem fuisse puta, quam diu eadem omnium fuit lingua; variam autem atque diversam exstitisse, ex quo tempore linguae in varietatem abierunt. Atqui, si alius aliam habet Dei opinionem, cum una tantum vera esse possit, hac quidem excepta, ceterae omnes falsae sint necesse est. Falsa autem Dei opinio gentilium religionis est summa. —

Consentiunt huic rationi libri divini, qui et ipsi ex linguarum confusione gentilium originem ducunt. Sunt quidem, qui putantes ea, quae in Genesi (Cap. XI.) de linguarum confusione leguntur non proprie de una omnium lingua, in varias iam abeunte, intelligenda esse modo linguae membrorum commutationem, modo mentium perturbationem ponant, eius similem, quae fit si clamore et strepitu omnia implentur et perturbantur. At vero, si illud esset, ubi tandem linguae membrorum commutationes conspiciuntur, cum contra omnibus hominibus linguae membra eadem sint? si hoc, nonne, ubi mentes resederunt, et linguae non coire non poterant? Constat igitur in Genesi veram linguarum confusionem intelligendum esse. Quamquam, quid est, quod ad turris exstructionem pertineat? Nonne mirum videtur, Deum, cum urbem et turrim altissimam exstruerent, de coelo descendisse eosque perturbasse? Minime prorsus. Urbs enim et turris exstruenda signum et symbolum quasi sunt animorum contumacius se gerentium, quique unitis viribus coelum deducere student. Quod quidem relatum legimus in Genesi (cap. XI., 4). Linguarum igitur confusionem non nisi ex scelesto hominum impetu, ex eaque animorum sententia factam esse putes, quae salutis divinitus ordinatae impatiens suapte vi, suisque opibus propriam sibi salutem ferre studet. Haec autem opinio, gentilium religionis quasi semen, cum in linguarum confusione primum exsistat, gentilium originem et ex ipsis libris divinis abhinc profectam esse putamus. Iis, quae modo diximus de tempore, quo gentiles orti sint, ea quoque diiudicata quaestio est. quomodo orti sint: obscurata scilicet Dei vera opinione, qualis in principiis

rerum homini divinitus insita erat. Quam diu enim illa viguit, homines, cum inter humana versarentur, animorum tamen communione cum ipso Deo coniuncti erant; quo magis autem vera illa opinio delitescere coepit, eo magis a divinis ad naturalia oculi conversi sunt. Ita factum est, ut paullatim a creatore ad creaturas abducti, qui acutioris ingenii essent, principium quod omnibus rebus subesset invenientes pantheismum, qui singulis adhaerescentes communem omnium rerum causam non invenirent, polytheismum efficerent.

Restat denique, ut alteram de origine polytheismi doctrinam cognoscamus, quam auctor libri sapientiae (cap. XIV., v. 17 sqq.) affert. Quae quidem doctrina, ab hominum consecratione repetita ipsisque Graecis, Euhemero, Ephoro aliis probata, cum plane reiicienda non sit — nam homines quoque pro diis a gentilibus colebantur — magni tamen momenti minime est.

Ad alteram iam quaestionem accedimus, quae de natura gentilium est. Quam ad cognoscendam variae patent rationes, quarum ea videtur proposito maxime conducere, quae ex religione sumpta est. Etenim cum historia satis comprobetur, omnium populorum cultus religionem fontem esse et quasi matrem, ex qua totius populi species redundet, si de gentilium natura agitur, religiones eorum ante considerandae sunt. Quod si generatim et summatim fecerimus, liceat nobis Graecorum Romanorumque religiones et naturas accuratius exquirere, ut qui ex omnibus summa nominis floreant laude. —

Ac primum quidem si veterum religiones perspicimus, id apud omnes nobis occurrit, quod unius Dei loco plures esse volunt. Divinam igitur naturam cum in complures partes dissecent, diis gentiles uti non possunt nisi infirmis nec omnibus numeris absolutis, praesertim cum propria etiam vitia iis tribuere non vereantur. Inde fit, ut veterum populorum dii naturam quoque eorum et indolem ferant, ut Graecorum prudentiam et sagacitatem, ingeniorum agilitatem, corporum venustatem. Deos autem et ipsos non integros, hominum instar imbecillos et debiles, vel vitiis pollutos, homines honestatis studiosissimos appetentissimos-

que efficere non posse, luce clarius apparet. Quod idem cognoscitur, ubi consideraveris ex ipsius naturae vi gentilium deos profectos esse. Ea enim religionis forma, quae res naturae atque vim pro diis coli et observari iubet, cum tantum absit, ut singularem quandam summae honestatis speciem animis informet, ut contra auferat, eos, quibus incerta quasi quaedam veri Dei suspicio inest, animorum impetum non ferens ad summam desperationem, quibus non inest ad vana studia adducit.

Utique autem non id valet, ut intimam animorum cum Diis necessitudinem moveat. Nam cum dii hominum instar et colantur et placentur et concilientur, neque quidquam nisi metum et timorem incutere possint, cultus eorum non tam animorum pietatem, quam cerimoniarum sacrificiorumque summam vim, denique civilem quandam prudentiam exigit, quae permutando quasi quam ipsa dedit maiora recipere studet. Hinc is, qui in peregrinas terras commigrabat, ne quid male ibi cederet, domesticorum deorum quasi oblitus peregrinae religionis formam statim subire debebat. Sanctum enim erat omnibus in unaquoque terra sui colendi formam et rationem ipsos deos statuisse. Hoc autem modo omnis animorum consensus ipsa religione deleretur et exstingueretur necesse fuisse, quis est, quin perspiciat? Item cum ipsae religiones poëtarum fabulis, legislatorum artibus, aliis rebus compositae summam omnium causam, unde omnia penderent, nescirent, quid mirum religionis etiam studiosos frustra eam indagasse? Ad quemnam igitur deorum, temporum varietatibus afflicti, fortunaeque vicissitudine perculsi precari, vel manus supplices tendere debebant? Num is, cui preces fundebant, habebat, unde servaret? Num ei, cui eripi studebant malo, deorum unus aderat? Nonne omissis sacrificiis iram eius susceperant? Hoc genus alia anxios animos terrebant, ingeniorumque vim et alacritatem auferebant. —

Quodsi Graecorum et Romanorum accuratius iam spectamus religiones, eo maxime inter se differunt, quod Graecorum religio cum artium, Romanorum cum patriae amore coaluerat. Vetustissimis quidem temporibus in Graecorum religione, ut in

fabulis ethici quid infuisse videtur; ubi autem hae non ad morum, sed ad artium studia referri coeptae sunt, non modo ex religionis doctrina, quid honesti inerat ablatum est, sed in artem ipsa plane abiit. Ex quo duplex hoc detrimentum natum est, primum quod ex religionis locis nihil honesti ad animos redundare poterat, deinde quod ipsae libidines vehementissime incitabantur. Quanta enim in simulacris deorum aspiciendis et contemplandis libido orta sit, inde maxime apparet quod cum nudis dearum statuis haud raro stupra facta esse accepimus (Plinii Hist. Nat. XXXVI., c. 5 und Luciani Amores c. 15). Neque solum apud homines inferioris ordinis, sed etiam apud ipsos artifices, ut apud Praxitelem, qui Plinio auctore (hist. Nat. XXXV., 10) parvulas easque obscoenas tabulas, ut quibus delectaretur, efficere non vereretur omnis animorum castitas et sanctitas desiderabatur. Accessit hoc gravissimum, quod, cum et impii artifices ex ipsa religione artis materiem sumerent, ipsa autem religio res flagitiosissimas contineret, hae quoque arte mirifice exornabantur et quasi sanciebantur. Apparuit hic dilucide, quantum ad mores hominum et honestatem fabularum vis valeret, quae cum omnia fere vitia ad alicuius dei exemplum referrent, vel optimam indolem non inficere non poterant. Denique cum Graecia subacta patriae amor, officia civilia, alia ad virtutes animos impellere cessarent, miserrimam cives honestatis praebebant speciem. Ipsa autem religio ab omni virtute aliena in artem plane abiit, quae tabulas atque statuas vel turpissimas effingere, populoque colendas proponere non verebatur. Quamquam id quidem in Graecorum simulacris laudandum videtur, quod cum Aegyptii bestiarum forma deos efficere et colere non abhorrerent, ipsi non nisi hominum figura et specie praeditos effingebant. Nam cum dii, bestiarum instar formati omni careant habitus decore et maiestate, humana specie et forma praeditis inesse quid videtur divini, quod illis deest. — Quod cum ceterarum omnium inter gentiles religionum instar, Graecorum quoque religio non tantum valeret, ut ad divina animos revocaret, quid mirum homines undique voluptatibus et libidinibus circumventos, idque unum agentes, ut

quam possent plurimum iis fruerentur, per saecula omnem vitae post mortem futurae spem abiecisse? Hinc ingens ille mortis metus, qualis in poëtarum, ut Anacreontis, aliorum carminibus nobis occurrit. —

Erant autem Graecorum non pauci, iique optimi et sapientissimi, qui patriae religionis formam perniciosissimam esse rati philosophica quadam theologia civilem istam effugere studebant. Ut Xenophanes Eleates, qui non modo unum deum Deorum hominumque principem esse docebat „nec forma nec ingenio cuiquam comparabilem", sed etiam quae a poëtis, ut Homero, et Hesiodo, de natura deorum turpia et indigna tradita sunt vehementissime insectabatur. Sequitur divus ille Socrates, qui, cum in ipsam patriam religionem non inveheretur, civium tamen animis veri non modo semina mandabat, sed etiam desiderium movebat. Ipse autem de Deo haec fere docuit: homines totiusque mundi ordinem et naturam Deum indicare, qui, cum oculis cerni non posset, ex iis tamen cognosceretur, quae faceret et fecisset. Insitam autem esse homini vocem quandam divinam — quam *δαιμόνιον* vocabat — bona suadentem, mala dissuadentem. Ceterum, ne Dei naturam accuratius describeret, Socrates semper cavebat, ut quae pro suorum civium ingenio intelligi non posset. — In eandem fere speciem Xenophon ille egregius divina ultra cognitionem et intelligentiam esse ait, neque exquirere et perscrutari illa decere. — Et Plato, cum Deum omnium quae sint causam et conditorem nuncupet, cui omnia cedant necesse sit, numen denique per se ipsum bonum — *τὸ αὐτὸ ἀγαθόν* — nonne unum esse Deum cognovisse videtur? Idem, cum rectissimam hanc divinorum haberet cognitionem, aegre tulit fabulas illas poëtarum de natura deorum, quas, cum divina polluerent, ne pueri et iuvenes intelligerent, maxime videndum esse putavit. Et inter Romanos quoque inveniuntur non pauci, qui civilem illam Dei opinionem despicientes veram perscrutari studebant. Ut praeter Senecam Plutarchus ille clarissimus. Is, cum poëtarum fabulas impugnet, eas quae maxime offensioni sunt, allegorice vel physice interpretari studet, quoniam Homericum illud de

Aethiopum terra: „ἔχει φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλά, πολλὰ δὲ λυγρά“ in poëtarum quoque fabulas conveniat. — At vero, quamquam sapientissimi quam vanae et stultae vulgi opiniones de Dei natura essent persuasum habebant, tantum tamen aberat, ut deformatas et detortas quasi ad meliorem formam revocarent, ut contra sustentarent et tuerentur. Bonum enim ingenium non fugit, ipsum vulgus fabulis, prodigiis, rebus denique formidolosis melius coërceri, quam solis philosophorum rationibus, praesertim cum maximam partem eas capere non posset. Ut ait Strabo, id quidem philosophiam non valere, ut mulierum multitudinem et insipientium vulgus ad meliorem frugem revocet, et ad pietatem, probitatem, fidem adducat: religionis id esse fabulosae et superstitionis paene anilis. Et Polybius historicus, civitatem, inquit, si ex solis sapientibus componere posses, superstitiones non requirendae essent; at vero, quoniam hominibus continetur libidinosis et effrenatis, quid est, unde animos coërceas nisi commentis, quae quamvis inania sint, magnam tamen vim habent. Poëtis igitur et rerum scriptoribus id quidem concedendum esse putat, ut mira quaedam et fabulosa afferant, dummodo nimia vitent (Polybii Histor. Reliq. XVI., c. 12, §. 9). Itaque vel levissimi Athenienses reipublicae causa iis non indulgebant, qui num dii essent, dubitarent. Ut Protagoram Abderitam ob eandem rem urbe expulerunt, expulsi libros in concione combusserunt (Cicero de Natura Deor. I., c. 23). Denique Romanorum Curtius ille Rufus (Curtii de Reb. Gestes. Alexandri IV., c. 10) nulla res, inquit, efficacius multitudinem regit, quam superstitio; alioquin impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret. — Alterum erat genus eorum, qui patriam religionem eo tuebantur, ut Platone auctore interiorem quasi et reconditam fabularum vim investigarent. Quam cum haud raro in multorum populorum fabulis eandem invenissent, iam eo res venit, ut putarent unam eandemque religionem omnibus populis veram insitam esse neque nisi specie et forma in varias abiisse. Esse igitur patriam religionem summe colendam et ipsam divinitus ingenio innatam. Studium quidem prae-

clarissimum, sed infelicis operae! Etenim, quamvis doctissimi illi viri subtiliori remotiorique fabularum sententiae summam quandam honestatem subiicerent, ipse tamen vulgus, cum pro ingenii ignavia et tarditate invenire non posset, praecepta religionis et doctrinam vana et commenticia putare non desiit. —

Alteram quandam eamque multo meliorem et graviorem speciem Romanorum habet religio. Haec quidem magnam partem ex Etruscis exorta summam deorum pietatem et reverentiam inde asciverat, qualis in sexcentis Romanorum supplicationibus, devotionibus votis ac sacrificiis spectatur. Multum etiam ad religionis formam Numae Pompilii institutiones valebant, ut illa: ne quis Dei imaginem faceret neve cruenta sacrificia offerret (Plutarchus, Vita Numae c. 8). Adde summam vitae simplicitatem omniumque rerum severitatem, qualis veterrimorum Romanorum erat, ex ipsa religione ortam, quamque tantam fuisse nonnulli putarunt, ut omnium virtutum officina Romae esse videretur. — Summam etiam populi fortitudinem religione contentam fuisse, cum multorum aliorum, tum Deciorum exemplo probatur, qui diis sese offerebant. Et Caesare etiam vivo tanta religionis in milites vis erat, ut cum Cato verba apud eos faciens deos patrios nuncuparet, ut qui urbis reique publicae essent statores, totus exercitus inflammaretur et hostes devinceret. Itaque, quam diu severa illa deorum pietas florebat, tam diu et res publica vigebat; illa sublata res etiam publica debilitata est. Singulare quoddam veterum' Romanorum morum integritatis et severitatis exemplum Livius quoque (histor. lib. XXXIX., c. 8—17) tradidit, ubi de Bacchanalibus Romae sublatis fusius dicit quod factum esse ait Sp. Posthumio, M. Philippo coss.

At vero omnium fere rerum commutatio apud Romanos facta est, ex quo tempore continuis bellis feliciter gestis imperii fines in dies propagabantur. Nam cum eo una cum summis divitiis lautissimarum voluptatum notitia, lautissimaque vivendi ratio, praecipue Asiatica, in urbem inveherentur, quid mirum pristinam morum severitatem et simplicitatem dissolutae libidini et luxuriae cessisse, incredibile quantae! Ut ait Iuvenalis (Satyr. VI., 292-300):

„Nunc patimur longae pacis mala. Saevior armis
luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
paupertas Romana perit: hinc fluxit ad istos
et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscoena pecunia mores
intulit, et turpi fregerunt secula luxu
divitiae molles.“

Et Seneca in eo libro, qui est de ira (II. 8) „omnia inquit sceleribus ac vitiis plena sunt: plus committitur, quam quod possit coërcitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocunque visum est, libido se impingit. Nec furtiva iam scelera sunt: praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est, et in omnibus pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.“

Quodsi pro artissimo illo Romanorum religionis reique publicae inter se connexu, omnis iam rerum civilium commutatio ad religionis quoque formam pertinebat, quam tandem ex eo inde tempore ferre debuit, ex quo vel peregrina sacra in urbem invehebantur, quae non solum patriorum deorum pietatem minuerent, sed etiam dissolutissimis moribus faverent! Omnium autem populorum, qui laudatum illum Romanae religionis statum perverterunt, principes sunt Graeci, a quibus cum ipsorum terra et artes eorum et maculosae illae deorum fabulae quasi pestis quaedam in rem Romanam proruperunt, ubi poëtarum carminibus celebratae vel puerorum animis insidebant, Graecorum paedagogorum usu quotidiano ultro facillime infectis. Itaque quod apud Graecos Romae quoque evenit, ut populi multitudo vitam viveret, deorum exemplo vitiis flagitiisque pollutam, vel prava superstitione refertam, cum doctissimus quisque civilem illam multitudinis theologiam aversans, in summam religionis impieta-

tem abiret. Hinc Sallustius (Sallustii Bell. Catilin. c. 51, 52) Caesarem in senatu facit dicentem: „in luctu et miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curae neque gaudio locum esse. Et Catonem (Sallustii Bell. Catil. ibidem): „Bene et composite Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa credo existimans, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Denique Seneca (Seneca de superstitionibus bei Augustin de civit. Dei VI, c. 10) omnia in religione sapientem ita servaturum esse putat tanquam legibus iussa non tanquam diis grata. — Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aevo longa superstitio congesserit, sic adorandam, ut cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere meminerint." — Nihilo autem minus Romanorum quoque vel ii, qui omnem deorum fidem abiecerant, patriam religionem omnibus viribus sustinendam et servandam esse putabant, non ea modo adducti causa, quia Graecorum instar populum solis philosophiae artibus et ratione contineri posse negabant, sed potissimum, quia totam rempublicam, vitam et domesticam et forensem, denique omnes fere institutiones tanto religionis vinculo quasi circumsepta videbant, ut illo conciso, ne omnia in discrimen et periculum vocarentur, metuerent. Romanorum enim religio, cum in principiis rei publicae sacerdotalem quandam vim haberet, ubi in dies magis magisque imperii fines prolati sunt, morumque pravitas effusa est, amissa illa politicam formam susceperat. Hinc ingens ille Romanorum in patriam amor, qui cum regni incrementis et ipse augebatur. Quod quum et urbium et terrarum expugnationes ab ipsis Romanis ad Deos reipublicae summos patronos referrentur, fieri inde non poterat, quin ipsa religio cum patriae amore magis magisque coalesceret, dum plane in eam abiret.

Reliquum iam est, ut dicendum videatur, quantum ad vitam gentilium religiones valuerint: hac enim populorum natura continetur. — Ac primum quidem, quae de Graecorum et Romanorum religione modo diximus, ad omnes veterum religiones

referenda sunt: superstitio scilicet et impietas. Quae quantum ad omnes vitae res valeant et Goethe noster (Goethe: Westöstlicher Divan S. 424) praeclarissime testatur. Summa enim, inquit, eaque profundissima quaestio, cui omnes cedere debent superstitionis certamen est et impietatis. Exoriuntur autem quasi necessitate quadam, ubi ipsa religio nihil habet, unde a rebus humanis ad divinas animos revocare et excitare possit. Nam cum id quidem natura hominum ferat, ut quantum a deorum nutu et voluntate discordet sibi conscia, naturali quadam pacis eorum desiderio capta sit — id quod sexcenta omnium populorum sacrificia, piacula, lustrationes non minus quam id genus nomina: *Ζευς ἀφέσιος μειλίχιος*, Dii averrunci testantur — ubi religio desiderio illi parere non potest, alterum de duobus fiat necesse est: aut ut, qui acrioris et fortioris animi est, omnem religionem, ut quae inutilis sit, despiciat, aut qui mitioris et timidioris sexcentis rationibus extrinsecus assumptis communionem illam deorum expetere studeat. Recte igitur Plutarchus mitiores animos ad superstitionem, ad impietatem acriores inclinare.

Quodsi varia superstitionis genera accuratius cognoscimus, apud Romanos ea ratio primum occurrit, quae domesticis diis non iam contenta omnium terrarum numina Romam adsciscebat, quasi civitatis moles, quo maior in dies accresceret, eo plures custodes exigeret, qui eam continerent. Et ipsi imperatores omnium maxime peregrinorum multitudine flagrabant, quorum multitudo efficeret, quae patriae religionis vis non poterat. Ut Germanicus, Agrippa, Vespasianus Aegyptiacos praecipue colebant Deos (Taciti Annales II, c. 54, 59); Nero ceteros omnes deos despiciebat, Dea Syra una excepta, cui et ipsi postea adeo succensebat, ut turpiter polluere non dubitaret (Suetonii Vita Neronis c. 56); Marcus Aurelius (Capitolinus Vita M. Aurelii c. 13) omnes peregrinorum populorum sacerdotes ac deos conferri iussit qui cum Marcomanni regnum peterent, auxilium ferrent; Commodus Aegyptiorum Isis et Mithrae sacris initiatus erat; Severus Aegyptiorum Serapim, Caracalla Isidem maxime colebat,

quibus in urbe vel templa exstructa sunt. Quod cum, ut ait Arnobius (adv. Gentes VI.) „cunctorum numinum cultrix Roma esset“, fieri non poterat, quin et templorum multitudo, sacerdotum manus, superstitiosa circumferentium numerum superaret incredibile quantum. Tum quidem per totam Italiam Deae Syrae, Isis, Mithrae, Osiris, Serapis, aliorum sacerdotes videres, vaticinandi studiosos, futurorumque interpretes, mulierculis omnium maxime acceptos. Ut ait Strabo (Geographia VII, 3): „ἅπαντες τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας. αὗται δὲ καὶ τοὺς ἄνδρας παρακαλοῦνται πρὸς τὰς ἐπίπλεον θεραπείας τῶν θεῶν καὶ ἑορτὰς καὶ ποτνιασμούς. σπάνιον δὲ, εἴ τις ἀνὴρ καθ' αὑτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος.“ Quantum autem ad mores depravandos ingens illa multitudo magorum, chaldaeorum, mathematicorum valuerit et ipse Tacitus (histor. I, 22) testatur, qui genus hominum esse dicit „potentibus infidum, sperantibus fallax, quod semper in civitate vetabitur et semper retinebitur“. Et profecto, intuentibus nobis pravissima illorum hominum studia, qui a nullo crimine commendando abhorrerent, sive quis patrem interfecturus erat, sive coniugem e medio sublaturus, sive stuprum facturus, dummodo quaestus et pecuniae ad ipsos inde redundarent, quis est, quem non toto corpore horror incedat! Ipsi denique imperatores in regiis vatibus et astrologis continuo utebantur: ut Nero (Suetonii Vita Neronis c. 34) immensis sumptibus Tiridatem magum Romam arcessivit, quem de futuris consuleret. Idem cum matris ab ipso interfectae continuo exagitaretur umbris per magos has quoque fugandas curavit. — Nec vero ipse populus ac principes huic inserviebant superstitioni, sed etiam philosophi. Novum enim philosophorum genus, Eclecticum, exstitit, qui cum ex philosophiae rationibus nulli integram veritatem inesse putarent, quidquid in singulis veri occurrit, eligebant, electis undique, cum ex sui ipsius populi, tum ex aliorum religione, quaecunque videbantur, addebant. Iidem cum verae religionis testimonia nulla haberent, Orphei, Hermae trismegisti aliorum scriptis suppositis pro iis utebantur, et eodem modo, quo Plato aliique patriae religionis fabulis superiorem quandam

ethicam vim subiecerant, Homeri, Hesiodi, aliorum poëtarum opera interpretantes et ipsi divinae sapientiae libros, Iudaeorum instar habere sibi videbantur. Sacrificiorum denique, lustrationum, corporum vigiliis, inedia aliisque modis torquendorum singulari quadam disciplina ab iis proposita, quae populus ante communi culpae conscientia fecerat, philosophica iam arte ordinabant, quae artem magicam et theurgiam quoque complectens vel deos et daemones de coelo deducere, vel inferorum animas elicere studebat. Sequebantur hanc philosophiam Christi memoria ortam Plotinus Aegyptius, Porphyrius, Iamblichus, Proclus, quorum vitae iisdem ineptiis refertae sunt, quam ipsorum philosophia. —

Ceterae autem philosophiae rationes non tam superstitioni, quam impietati indulgebant, quae primum in scholis philosophorum contenta paullatim, cum ad maiorem eruditionem seculum progrederetur, in vulgus quoque longe lateque diffundebantur. Ut ait Iuvenalis (Satyr. II, 149 sqq.):

Esse aliquos manes, et subterranea regna,
et contum, et stygio ranas in gurgite nigras
atque una transire vadum tot millia cymba,
nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Memoratu dignum videtur in hanc speciem Hadriani illud, viri mediocriter edocti, quod moribundus edidit: „animula vagula, blandula; hospes comesque corporis; quae nunc abibis in loca, pallidula, rigida, nudula; nec ut soles dabis iocos“. Huic animorum impietati maxime favebat tota Epicuraeorum familia, tum quidem admodum pervulgata. Neque mirum id quidem! nam pro seculo illo, ea philosophandi ratio, quae deos humanis membris praeditos humana nihil curare aiebat neque nisi voluptati (ἡδονή) locum relinquendum esse volebat, vulgo quidem maxime accepta non esse non potuit. Quam ad doctrinam describendam praeclarissime Iuvenalis (Satyr. XIII, 86 sqq.):

„Sunt in fortunae, qui casibus omnia ponant
et nullo credant mundum rectore moveri;
natura volvente vices et lucis et anni;
atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.“

Praeter illos, quos modo diximus, Epicuraeos et Cynici admodum florebant, pro abiecto isto, quo tum utebantur, animo, si quid forte inter populos pietatis et honestatis reliquum erat haud dubie exstinguentes. Nam cum, quam vana omnia humana essent non ignorarent, miseria et questu omnia referta esse viderent, ipsas familias vel dilabi, tantum tamen aberat, ut mutandis moribus operam darent, reique publicae labi subvenirent, ut contra superbia et spiritu elati ex omnibus vitae officiis se reciperent et patriam et amicitiam, summa bona, aspernarentur. Tum quidem videres homines illos nudos in publicum prodeuntes, fuste et panario instructos per plateas volitantes et in conspectu omnium bestiarum instar corporis necessitatibus parentes (Augustin de Civit. Dei XIV, c. 20). Inter vulgus et turbam hominum miscebantur, sapientiae ibi doctores exsistebant, non autem composite dicendo, sed vili modo iocando et ludendo, id quod ingentem omnibus risum movebat, neminem ad meliorem frugem revocabat. Itaque factum est, ut pessimus quisque, maxime inferiorum ordinum homines, coriarii, unguentarii, sutores Cynicorum partes sequerentur. —

Denique et Stoici inveniebantur, haud multi. Nam pro languido et dissoluto seculo illo, ubi tandem locus iis reliquus erat? Accessit, quod propter vim et alacritatem, quae inde redundabant, effeminatis aulicis et purpuratis Stoica civitati vel perniciosa videbantur et crimini dabantur (Taciti Annales XIV, c. 57; XVI, c. 22). Praeterea autem, cum patriae religionis fabulas allegorica interpretatione sustinere conarentur, tamen pro sua desperatione de vita post mortem futura non magis allicere poterant, quam pro sua de natura deorum sententia, quos et ipsos Fato parere aiebant, maxime autem pro sua superbia civium impietatem non auferebant, sed augebant. Ut Seneca, Stoicorum non deterrimus, ubi de natura deorum dicit (Seneca epist. 73), „Iupiter, inquit, quo antecedit virum bonum? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes eius breviori spatio clauduntur. Sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt contemnitque quam Iupiter: et hoc se magis

suspicit, quod Iupiter uti illis non potest, sapiens non vult.“ — Haec quidem de natura gentilium ex lege religionis dixisse sufficiat; agite dum videamus, qualis illa fuerit ex honestatis parte spectata. —

Si illud est, quod inter omnes constat, qualis populi religio sit, talem morum eius conditionem et honestatem esse, ex iis iam, quae docuimus, satis colligere licet non iam optimam honestatis conditionem inter gentiles fuisse. Quod quidem plane confirmatur, si consideraveris, religiones gentilium nihil esse nisi nudum cultum naturae, quae ipsa omnis honestatis expers haec duo potissimum continet: „procreare et recipere“. Itaque veterum religionum haec duo sunt summa. Ut apud Indos „idem“ Brahma exsistit, ubi procreat; Wischnu, ubi conservat; ubi procreata recipit, ex receptis nova edit: Schiwa. Per secula autem in omnium fere populorum religionibus ea commutatio facta est, ut procreantem naturae vim solam colerent; idque duplici modo fecerunt, aut unum omnium rerum principium, deum quasi *ἀνδρόγυνον* ponentes, aut summum Deum, summamque Deam, ex quibus omnia orta essent. Ut apud Aegyptios Osiris et Isis, apud Graecos Zeus et Here, apud Germanos Freir et Freia. Quodsi huius generis dii iam per se ipsos non ita apti erant, qui hominum et verecundiam augerent et pudicitiam, quantum tandem morum integritati detrimentum afferrent necesse erat, ex quo signis et tabulis mandari coepti sunt! Hinc enim vel eo perventum est, ut vel pudenda Deorum effingerent, effıcta adorarent: ut Phalli cultus apud multos populos invenitur, res turpitudine et obscoenitate maculata, incredibile quanta! et apud Graecos simili modo Bacchus, Venus, Ceres, alii fingebantur. Item in mysteriis Graecorum et sacris, ut Thesmophoriis, praecipue Bacchanalibus in Deorum honorem carmina adhibebantur et cerimoniae ad libidines et voluptates inflammandas maxime idoneae. Quid igitur est, quod miremur diis tam obscoene effictis turpissima et obscoenissima adscripta esse, ut Dionysio cum lapidibus stuprum facienti! Itaque Graecis nihil habebat alieni, si meretrices vel pueri paedicati pro diis colebantur et Venus

aderat *καλλίπυγος* et altera quaedam cognomine *πόρνη* (Eusebii Praep. Evang. II, c. 3 und 6). Quas cum et ipsas omnium consensu signis mandare artifices non abhorrerent, quid tandem Aristotelis voces valebant (Aristotel. Polit. VII, 18 ed. Schneider), qui vehementissime suadebat, ut magistratus viderent, ne obscoena deorum simulacra et statuae conspicerentur, nisi in eorum templis, qui libidinibus indulgere putarentur. Haud enim ignorabat, summam a diis tantis flagitiis affectis in ipsos homines et civitates pestem redundaturam. Et mehercle! intuentibus nobis Graecorum Romanorumque civitates, tot nobis flagitia occurrunt, ut quae Paulus apostolus in epistola ad Romanos data enumerat (Pauli epist. ad Romanos data c. 1, 26 sqq.), multitudinem eorum vix capere videantur. —

Primum quod ad coniugium attinet, apud Graecos quidem Solonis et Lycurgi legibus, ne quis pluribus uteretur coniugibus sanctum erat: nec vero morum causa sed rei publicae. Quod apud Lacedaemonios maxime apparet, quibus, ubi nulla spes suberat, fore ut validi et firmi inde liberi procrearentur, non modo coniugium dirimere, sed etiam coniuges aliquamdiu in mutuum usum permittere licebat, nimirum, quia liberi non parentum, sed reipublicae esse putabantur. Quid igitur mirum, animorum intemperantiam morumque turpitudinem, ubi de coniugii castitate et sanctitate opinio tam tenuis esset, non modo non coërcitas, sed e contrario auctas esse. Constat enim Graecorum non solum humile vulgus, sed civitatis etiam principes, Aristidem, Pausaniam, Cimonem, omnium maxime Periclem et Alcibiadem, quem quidem puerum omnes poëtae comici Atheniensium virorum mulierem nominarunt, adultum omnium feminarum maritum, turpissimis libidinibus indulsisse (Plut. Alcibiad. c. 4, 8, 16, 23). Eundem, ubi in bellum proficisceretur, amiculae sequebantur, in his Damasandra et Theodata; clipeo eius infixus erat Amor, ubi fulgura mittit; ipse effictus est Nemeae amiculae gremio insidens Inde factum est, ut Alcibiades a rhetoribus et poëtis vehementissime vexaretur, quod libidines, luxuriam alia vitia in civitatem inveheret. Ac simili fere modo artifices, rhetores, poëtae civium

moribus obscoenis vel tabulis vel carminibus admodum nocebant, maxime omnium divus ille Homerus, quem poëtarum nemo aequavit cum alia quae tum vitia et libidines pingentem. Quid quod artifices denudatarum virginum venustatis arbitri constituebantur, quod vel Demosthenes, Lysias, Isocrates, denique philosophi libidinibus admodum favisse dicuntur? Ut praeter Epicurum, Diogenem maxime Aristippus, qui, cum moneretur quod suos ipsius liberos, quos procreasset, exponeret, sexcentas contra pellices aleret, dicere sustinuit, et sputum et corporis excrementa edi, quae unusquisque et ipsa gigneret (Diog. Laert. Vitae Phill. II, c. 81). At vero, quantopere morum illa pravitas dolenda est, tantopere paucos cernere iuvat, qui undique fere vitiis circumdati integritatem reservabant. Nam ut ea, quae contra Platonem ut et ipsum libidinibus inservientem allata sunt, plane redargui non possint, ea quae contra Socratem certe reiicienda sunt. Namque si esset, quod quidam volunt, pueros eum trivisse, adversarii quidem id quoque crimini ei dedissent. —

Est huius loci paucis absolvere verbis pravissimam illam amicularum consuetudinem, quae per totam Graeciam percrebruit. Erant autem illae amiculae, cum ceterae omnes et puellae et feminae minime eruditae essent, summo ingenii cultu litterisque deditissimae, cum vel philosophorum scholas frequentarent, vel ipsae scholas haberent, in quibus virgines artes meretricias aeque discebant, ac adolescentes eloquentiam; rerum publicarum denique haud imperitae erant, neque invalidae magnis rebus efficiendis. Florebant maxime inter eas Aspasia illa, quam Pericles uxore dimissa, coniugis loco habebat (Plut. vita Periclis c. 24, 25), et Phryne quaedam, illa etiam vilior; denique Pancaste, Alexandri amicula, quae denudatam Apelli sese offerre non dubitabat, qui ex ipsius gratia et venustate Veneris *ἀναδυομένης* simulacrum effingeret. Eadem, cum ab Hyperide quodam in ius vocata esset, coram iudicibus mammas denudavit, quo propitios eos sibi redderet. Et cum certaminibus, ubi iuvenes ac virgines denudati de venustate contendebant, interesset coram triginta millibus Graecorum crinibus solutis plane denudata prodiit.

Quid? cum Pythonice, una ex amiculis mortua esset, non solum magnus summorum artificum numerus exequias prosequebatur, sed etiam Harpalus, Babyloniae satrapa, in ea via, quae ab Athenis Eleusina fert, mortuae honorarium tumulum exstruxit.

Accedit ad istam amicularum consuetudinem ea libidinis species, quae graece παιδεραστεία vocatur. Cuius originem Plutarchus quidem (Plutarchus Amatorius 4) e gymnicis ducendam esse putat, in quibus nudis pueris vel inter se, vel cum puellis certandum erat. Dictis autem multo perniciosior nefaria illa ratio erat, quae libidinem divino cultui sacravit. Quod cum apud multos populos, Aegyptios, Phoenices, Babylonios, ubi Herodoto auctore (Herod. Hist. 1, 199) omnes feminae semel, dum viverent, ad Aphrodites cum peregrinis stuprum facere vel legibus iussae erant, inveniatur, maxime tamen apud Graecos, praecipue Corinthios occurrit, qui sexcentas virgines foedissimo Aphrodites cultui offerebant (Strabo Geogr. VIII, 6). Iidem, cum Xerxes Graecia esset expulsus, urbem suam ac terram earum precibus servatam esse rati, ut quae maxime valerent, sacerdotales illas mulierculas pariter fingendas curabant ac Athenienses victores Marathonios. —

Quanto tandem melioribus veteriores quidem Romani florebant moribus, cum multis aliis virtutibus, tum castitatis laude insignes, ut ne patri quidem liceret cum pubere filio, vel socero cum genero in iisdem balneis una versari. Et simili modo Enniius (apud Cic. Tusculum. Q. IV, c. 33) ait: „flagitiis principium est, nudare inter cives corpora". Inferiori autem memoria, cum ceterae omnes virtutes abirent, castitatis quoque laudes delitiscere coeperunt, et ipse Cato, quamvis honestissimam vitam ageret, amicula uti non verebatur. Servi denique iuventutem vel obscoenius saltare docebant; cives paedicabant; Sylla concubinis fundos dedit maximos; Clodius postremum, qui Libertati templum exstruxerat, cum Deae statua non adesset, amiculae statuam templo imponendam curavit. Hinc Sallustius (Bell. Catil. c. 13) ille ad saeculum describendum, libidines, inquit, stupri, ganeae, ceterique cultus incessere: viri pati muliebria,

mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere; dormire prius quam somni cupido adest; non tamen aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed luxu omnia ea antecapere, haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant; animus imbutus malis artibus haud facile libidinibus carebat: eo profusus omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat. „Et ipsi poëtae, Horazius, Plautus, Ovidius carminibus suis libidinibus indulgebant, quae Deorum exemplis, omnibus sanctae esse videbantur. Itaque Terentius (Terentii Eunuch. Act 3, sc. 5 v. 34) iuvenem illum, qui stuprum facturus, Iovis in aureum imbrem mutati exemplum affert, haec fere dicentem facit: ego homuncio hoc non facerem? ego vero illud feci ac lubens." Et apud Ovidium Byblis (Ovidii Metam. IX, 497 sqq.) fratris amore inflammata, ad cupidinem suam probandam haec dicit:

. . . . „Di nempe suas habuere sorores:
sit Saturnus Opem; iunctam sibi sanguine duxit
Oceanus Tethyn, Iunonem rector Olympi."

At vero, quam parvi haec omnia facienda sunt, cum insequentis temporis vitiis comparata. Quid enim de Caligula, qui nummulis acceptis omnium cupiditatibus regiam patefecit; quid de Nerone, qui nudus cum nuda meretrice per urbis plateas vehebatur; quid de Commodo, qui germanas sorores vitiasse, vitiatas interfecisse fertur? quid de iis omnibus, quos homines interficere delectabat, ut moribundos viderent?

Comparantes iam hinc eorum populorum, ad quos Christiana religio venit mores et honestatem, tantum abest, ut nullas inter eos flagitiorum vel superstitionis maculas inveniri dicamus, ut contra concedamus. Sed id maxime inter gentilium et illorum vitia et flagitia interest, quod quidquid vel vitii vel peccati fit, non ex religione Christiana fit, sed ea invita, gentilium autem religiones ipsae peccatorum et vitiorum semina continent, quae per annos procedunt. Religionem autem per se ipsam maculosam non habere, unde totam indolem cum unius hominis cum cunctorum populorum excolat ac perficiat et per se ipsum appa-

ret et historia comprobatur. Nam cum gentilium omnes religiones artissime cohaereant et cum natura terrarum, in quibus natae sunt et cum eorum indole, qui eas condiderunt, tantum abest, ut ad ea, quae omnium hominum natura exigit, se componant et quid unicuique populo ingenii proprium est excitent et colant, ut contra opprimant et exstinguant, suam ad eos vim transferentes. Ut Thraces, Macedones, ii, qui minorem Graeciam tenebant cum ipsa Graecorum religione Graecorum etiam mores et proprietates acceperunt; et ipsi Romani, ubi Graecorum deos et numina in rem publicam adsciverunt, Graecas etiam litteras acceperunt; denique Galli, Hispani alii populi sub Romanorum imperium redacti cum religione quoque Romanorum et studiis coaluerunt. — Accedit, quod ex gentilium religionibus nulla est, quae omnes ingenii facultates explicare et colere possit. Primum enim, quod ad intelligentiam, cum obtusis ingeniis sui admirationem iniiciant, acutioribus non modo non satisfaciunt, sed contra lubibrio fiunt. Hinc impietas illa animorum, quae apud sapientissimos veterum nobis occurrit. Quod autem ad voluntatem attinet, religiones meris cerimoniis et fabulis, saepissime praesertim inhonestis confictae magice quasi et obscure sensum quidem movent: cum autem cognitionem addant nullam, non voluntatem, sed superstitionem excitare possunt. Denique animorum affectus gentilium religione coli non possunt. Hi enim, cum in summum ibi perveniant, ubi intimo Dei usu coluntur, quid tandem ex ea religione, quae non nisi extrinsecus homines cum diis connectit, ad animos redundare potest! Quod quidem maxime conspicuum fit, ubi veterum poëtica perlustraveris. Haec enim, cum sexcenties ea componant, quae ad naturam vitamque domesticam spectant, ea rarissime attingunt, quae animi sunt divinitus moti. Et ut interior gentilium usus cum diis sit, nonne, quoniam ipsi vitiis ac libidinibus polluti sunt, quo quis interius iis utitur, animorum affectus non pollui non possunt?

Tertium, idque gravissimum, quod maxime inter gentiles desideratur, id est, quod verae humanitatis expertes, non ex

moribus mentisque sanctitate, sed ex ingenii cultu et intelligentia homines aestimabant; et recentiores Platonicos quoque, cum morum probitatem (*κάθαρσις*) multitudini permitterent, sibi contra rerum contemplationem (*νόησις*) reservarent et ipsos ingenio nimis, parum moribus attribuisse apparet. Ut ait Marinus idem qui de Procli vita librum composuit, improba quidem saepius animo volutasse eum; sed parvi id esse aestimandum, quoniam a nemine improba sint aliena. Hinc autem, quod prae mentis sanctitate ingenio veteres nimis attribuebant, factum est, ut vulgi multitudinem (*οἱ πολλοί*; *ὄχλος ἀφιλόσοφος*), feminas, denique servos, ut qui omnes ingeniis excolendis non idonei essent, plane despicerent. — Quod primum ad servos, fieri quidem non potest, quin in unoquoque populo aliorum sit imperium, aliorum servitium; tamen ubi servis, quae hominum natura fert, ademeris, non solum in eos ipsos, sed in humanitatem peccaveris. Eo autem flagitiosissima et pessima quaeque non effici non posse, neminem certe fugiet. Ut Spartanorum Ilotae, sordidis vestibus induti, quibus a ceteris differrent, variis modis crudelius habebantur. Unusquisque eorum quotannis certo quodam modo vapulare, quo servum se esse meminisset; in se ipsos carmina dicere cogi probrosa et maledica; quotannis a Spartanorum adolescentibus belluarum instar sagittis peti; ne iusto plus augerentur pugionibus percuti. Et apud Romanos quoque tantum servorum fastidium erat, ut ne personae quidem, sed res esse putarentur. Ut servorum illi, qui ostiarii vocabantur canum instar catenis vincti ad principum insulas excubabant; alii in ergastula subterranea coniiciebantur. Quid? servorum domino interfecto neque, quis auctor esset caedis, aperto, omnibus et servis et uxoribus liberisque eorum moriendum erat, quo quondam quadringentos servos insontes vitam amisisse Tacitus narrat (Taciti Annal. XIV, c. 42). Levissima peccata gravissima supplicia sequebantur, cum vel ad metalla sontes ducerentur, vel piscibus obiicerentur.

Et ipsae feminae, quamquam non vili illo servorum loco habebantur, cum nec ad bella suscipienda idoneae viderentur nec ad rem publicam capessendam, debita dignitate non cole-

bantur. Eaedem, cum ab omnibus metuerentur, omnibusque suspectae essent, ab omni hominum coetu et consuetudine prohibebantur, et posticis aedium partibus continebantur; item virginibus ferreis claustris custoditis non nisi venia data aedium partes mutare licebat (Stobaci Sermones, Sermo LXX: de vituperatione mulierum). Quid igitur mirum veterum feminas non modo, ut par est, a publicis negotiis, sed etiam ab omni coetu remotas, omni ingeniorum cultu caruisse, multosque fuisse, qui cum a mulieribus omnibus numeris tam neglectis abhorrerent, caelibes ad senectutem pervenirent. Quorum ad numerum minuendum Lycurgi quidem legibus variae poenae sanctae erant, ut denudati in foro ipsi in se ipsos carmina dicerent, certaminibus puellarum non adessent, mulierum pugnis publice contunderentur (Plut. in vita Lycurgi); sed quid tandem honesti et sancti coniugiis inesse poterat, tam malis artibus petitis? quid item liberorum educationi et ipsi e republica temperatae? Huic enim uni liberorum educationem inservire debere vel optimi, ut Plato (Plato de legg. II, p. 245 ed. Becker), Aristoteles alii aiebant: id esse omnium maxime expetendum, ut cum legibus cives consentirent. Tantum igitur aberat, ut prima ac praecipua liberorum educationis cura parentibus permissa esset, ut contra civitatem unicam educatricem esse putarent. Quo quid magis potest esse anceps! Nam cum ea educationis prima lex sit, ut omnes ingenii facultates moveat et excitet, ea educationis forma vera esse non potest, ubi ingenia, quae coelum et terram amplecti student in unius civitatis angustias coguntur et compelluntur. Deest praeterea principium amoris, quo allato omnes omnium terrarum cives fieri possunt. Apud Romanos quidem, qui prae Graecis castitate quadam florebant, praeclara, ut Catonis, exempla conspiciuntur cum coniugalis amoris, tum educandorum puerorum curae. Narrat enim Plutarchus (Plut. Vita Catonis M. c. 20) dixisse Catonem „si quis coniugem vel liberos pulsaret et verberaret, sacerrimis eum rebus manus afferre. Rarissimis autem his exemplis omissis, ubi tandem apud veteres veram humanitatem invenies! Num apud Graecos, qui servos

vetuerant certis quibusdam interesse sacris, ut quae istorum hominum praesentia polluerentur; num apud Spartanos, qui quotannis ad Artemidis Orthiae aras adeo pueros flagellis verberabant, ut essent, qui vitam ponerent; num apud eos populos, qui ut in muneribus gladiatoriis bestiis homines devorandos et dilacerandos obiiciebant; num denique apud eos, qui homines pro victimis immolabant, ut Rhodii, Lacedaemonii, Phoenices, Cretenses, denique Romani, quos in ipsa urbe vel anno trecentesimo p. Chr. n. Iovem Latialem sanguine coluisse humano traditum est (Lactantius divin. instit. I, c. 21)?

Quodsi quae fusius supra diximus de gentilium natura et religione, paucis complectimur haec tria potissimum occurrunt: primum quod semina continebant, cum summae impietatis, tum pravae superstitionis; deinde quod multum valebant non tam ad morum honestatem augendam quam minuendam; denique quod nec singulos nec cunctos populos omnibus numeris colere poterant. Licet enim Augustini illud: „gentilium virtutes splendida vitia fuisse“ reprobandum esse putemus, ea tamen quae in Socrate, aliis praeclara inveniuntur, non tam religioni, quam meliori indoli deberi dicimus.

Denique quod ad libros divinos, toti nostrae de natura gentilium doctrinae et rationi conveniunt. Exstat enim inde locus classicus in epistola Pauli apostoli ad Romanos data cap. 1, 19 usque ad finem.